

Handwritten mark on a paper label on the spine.

Nr
1676



IOANNIS IONY
IGLOV. HVNG.
DE
AVSPICIO REGIO
STEPHANI PRIMI
HVNGARORVM APOSTOLI
SCHEDIASMA
HISTORICO - IVRIDICVM.



RECUSA IENAE,
LITTERIS MARGGRAFIANIS,
M DCC LVI.

ILLVSTISSIMO COMITI
AC DOMINO
DOMINO
NICOLAO LYDOVICO
SACRI ROMANI IMPERII COMITI
AC DOMINO

A. Magnan. Gall. Imp. Phil.
A
Zinzendorff & Pottendorff

ET RELIQUA
OLIM IN PAEDAGOGIO REGIO
QVOD HALLAE EST
COMILITONI VNICO EIDEMQVE
MELLITISSIMO

HVNC
PATRONO GRATIOSISSIMO

Hocce obseruantiae fideique suae nunquam intermoriturae
Specimen atque pignus eo, quo decet submissi
animi cultu offert

A V C T O R.





IN NOMINE DOMINI NOSTRI
IESV CHRISTI.



Quemadmodum Germani in illustrandis & strenue inuestigandis patriae suae rebus, omnibus Hungariae ciuibus dubiam faciunt palmam: ita summum profecto iisdem incutiunt pudorem, quod de studiose indagando regni Hungarici statu magis saepe reperiantur esse solliciti, quam quidem ipsi Hungari. Et quamquam exiguus sit eorum numerus, qui professa opera hoc sibi datum existiment, dum vel iis potissimum locis hoc faciant, vbi de iuribus imperii vindicandis praecipunt, vel vero, vt instituti libimet ipsis propositi series rite constet, res quoque nostras attingant: in hoc tamen singulari ac praecipua quadam laude digni mihi videntur, quod hanc spartam, vt alia multa, quam diligentissime prosequantur. Atque haec cum ita se habeant, vitio sane ipsis verti non poterit, quod de industria nostratium nihil sibi metuentes, de rebus

(a) 2

Hua,

Hungaricis nonnunquam vel minus accurate a) disputent, vel propensionem cuiilibet erga patriam suam a natura ingentam, sequentes, Teutonicae omnia adscribant auctoritatis, eoque ipso de rebus Pannoniae quibusvis sinistrum saepe ferant iudicium. Causa non subest, quare nunc per omnes illas ire debeat doctrinas, quibus scriptores Germanici Hungariae quoque nostrae prolixam fecerunt mentionem, in iisdemque huius asserti veritatem ostendere. Neque etiam ad praesentem tractationem referre arbitror, vt vnum vel alterum

- a) Exempli loco nobis sit omnium ore laudatissimus Schurtzschleischius. Studium hunc rerum nostrarum fuisse, & ita quidem studiosum, vt in eas opere inquisiuerit, saepe etiam litteris eas illustrauerit, nemo, nisi industriae & scriptorum eius ignarus, abnuerit. Nec tamen negari ex aduerso poterit, eundem de rebus nostris tam praepostere interdum censuisse, vt limam potius, quam laudem mereri videatur. Quis vnquam in publici iuris prudentia vel mediocriter versatus, Suecorum aliorumue populorum instituta improbauit, aut contemnere sustinuit, regibus suis eiusmodi iurisiurandi formulas praescribentium, vt, si reges pactorum limites migrarent, iisdem circa crimen laesae maiestatis resistere possint? Confer Carpzouius de *Lege Reg. Germ. Cap. 14. sect. 5. num. 20. & seqq.* Et vero Schurtzschleischius clausulam illam legi Hungarorum fundamentali de *resistendo* adiectam, immo totum Andreae II. decretum, * *absurdum, rationi contrarium, moribus eularum & inprimis Christianarum gentium institutis repugnans & nescio quam cyclopicae licentiam continens*, licenter existimauit. Videatur eius erudita, sed non sine partium studio conscripta *dissertatio, de Superioribus Hungariae conuersionibus, in additament. §. 2.* An autem accurati iudicis munere hac in parte defunctus est? vt de sinceritate eius nihil nunc inuicem. Mihi quidem minime videtur! Quantumuis enim facile concedam, eiusmodi libertates variis tumultibus ansam dare posse: negare tamen ausim, filium consecutionis ita esse trahendum, quod ea, quae malis per accidens occasionem praebent, *absurda & rationi contraria* existant. Sed forsitan absurditas huius clausulae ex eo elucet, quod in comitiis Posoniensibus anni 1687. cum consensu procerum regni abolita fuerit? Ne sic quidem tuto hoc concludere licebit, si, quas Status & Ordines Hungariae in *articulo 4.* praedicti anni huius abolitionis causas adposuerint, aequa & accurata mentis laeue ponderaueris. Possem hoc cum in aliis huius viri scriptis euincere, tum vel maxime de tractatu quodam, quem ab homine germano germanico idiomate conscriptum, possideo, ad oculos demonstrare: sed parcendum aliquid *hominibus*, ibi in primis, vbi priuatum sentiendi rationes habemus.

rum locum ex historicis ipsorum monumentis hoc sine de-
 promptum, in medium proferam; cum ab hoc labore prae-
 sentis me prohibeat instituti ratio, praetereaue haec ita
 comparata sit sententia, vt cordatus quisque vtriusque regni
 scriptores sincere conferens, eandem facili deprehendere
 possit negotio, & vel ipsis Germanorum testimoniis manifeste
 confirmetur. Ne tamen quisquam vanis me ludere sermo-
 nibus, aut inania cordis humani figmenta portendere arbi-
 tretur: sollicitam nauabo operam, vt, quoniam *de genuina
 dignitatis regiae in Hungaria, Christi sacris initiata, b) origine,
 penitus paulo differendum mihi sit*, luculenter simul intelliga-
 tur, Germanos in ea deducenda suae non parum fauisse pa-
 triae. Vt autem in hoc stadio tanto commodius decurrere
 mihi liceat, operae pretium futurum censeo, ipsorum prius
 Hungarorum exposuisse, & plenius intellexisse hac de re
 sententiam. Neque hoc in malam partem ii nobis interpre-
 tari poterunt, quibus forte compertum est, alios iam &
 sublimis ingenii viros in hac describenda laudandam egre-
 giamue collocasse industriam; hoc vnicum expendentem,
 quod tractationis huius ordo aliam vix admittat methodum,
 (a) 3 quam

- 4) Consulto ita loquor. Nemo enim, quantum ego quidem sciam, magno
 Hunnorum Atilae hanc mouit controuersiam, quod ille non sua auctorita-
 te, sed alterius beneuolentia regiam consecutus fuerit dignitatem. Vt pro-
 inde causas habuerit grauissimas celeberrimus Ludewigius, qui Ottrokoc-
 sium ad fidem Prisci, Rhetoris, hoc indicantem, sequeretur. Videri pore-
 runt, quae *cap. 2. §. 5. p. 71.* plenissimi Tractatus *de Auspicio regum*, ad-
 notauit: notatuque in primis digna sunt. quae *cap. 3. §. 2. p. 95.* habentur
 verba: *Atila rege quis in historia Romana celebrior? Hunc sane nullus
 scriptor Romanus alio unquam ac * regi titulo salutauit. Sed hunc quoque
 cum summa in Hunnos, qui ante duces habuerant, potestate, propria diade-
 ma sibi auctoritate impouisse, ad fidem Prisci, Rhetoris probat O. trokocsi, supra
 nobis laudatus. Mallet tamen, vt vir doctissimus ex aliis potius scriptori-
 bus dictis suis fidem fecisset. Vix enim commode dici potest, Ottrokocsiom
 hoc comprobasse, qui illud saltem commemorauit, quod Atila * non prius
 regiam & supremam inter Hunnos consecutus sit dignitatem, quam temporari-
 bus Theodosii iunioris; & quidem circa ann. D. 428. aut non longo ante hoc
 tempus intervallo. Videantur eius Origg. Hungar. Part. 1. cap. 4. §. 2. p. 103.*

quam nec ab illorum instituto remotam fuisse, patebit. Cumque propria cuiusque scriptoris verba, quibus in delineandis rerum argumentis usus est, mentem eius quam bellissime declarent: non incongrue me facturum iudicabam, si ipsissimas laudandorum Auctorum voces fideliter & penite adlegauero. Hos inter itaque principem facile praecipuum locum sibi vindicauerit, *Petrus Ranzanus*, regis olim Neapolitani apud Matthiam Coruinum legatus famigeratissimus; quippe qui & signa ceteris duxisse mihi videtur, & de authentico magis primi Hungariae regis christiani auspicio, eleganter hunc in modum est commentatus: *Haud multo interiecto dein tempore, cum Hungariae optimatibus placuisset, ut * qui titulo DVCCIS tot praeesset populis, totque viris generis claritudine auctoritateque insignibus, * videretur magis honorata appellatione, REGIAM ELEGERVNT DIGNITATEM.* Et quibusdam interiectis: *omnium igitur miro consensu & applausu appellatur ipse * REX, ac REGIA corona GEGVM more donatur.* c) Neque minorem huius rei notitiam ex *Bonfinio*, perelegantissimo rerum nostrarum scriptore, haurire possumus; tamen alii hac eum in parte penitus videantur neglexisse. d) Cum enim orationem *Geysae commendatitiam* longa verborum ambae exposuisset, de huius virtute & miro apud omnem populum effectu, ita porro subiicit: *quicumque aderant, pari pietate commoti in eius sententiam vltro contendunt, quando nihil rei publicae salutaris decernere, neque cumulatiores Duci, de cunctis optime merito, gratias referre poterant. praesente patre * omnium consensu Stephanus non tam humano, quam diuino*

c) Habentur ista in eius *Epitome Rerum Hung. Indici VIII, p. 624. in f. & seq. in princ.*

d) Mirari hinc non desino, qui factum fuerit, quod celeberrimus *Ludewigius* cum aliis nullam plane huius fecerit mentionem, ex instituto licet in hoc articulo versatus. Ignota haec eidem fuisse, non crediderim: sed aliae forte aderant rationes, quare praetereunda potius voluerit, quam oculis legentium subiicienda.

uino iudicio * **NON DVX, VT PATER, e) SED HVNGARORVM REX CREATVR**, vniuersae rei publicae summa traditur, cunctique nobiles & plebei in manus eius coniurant, se nunquam imperia detracturos, gratissima ac fida praestaturos obsequia & caelestis internuncii loco eum habituros: mox * procerum manibus elatus in solium, **REX** salutatur. Delatus in castra (pergit laudatus Auctor) a praetorianis **EADEM CONSALVATIONE** comprobatur. Quae illustrissimus Comes a Rewa f) hanc in causam consignauit, cum his fere coincidunt, & si, quod res est, dicendum sit, suum illelocum Ranzano debere mihi videtur. Nihilo tamen fecius, ne de huius quoque, vt natione Hungari consensu dubitari queat, verba eius excribam, quae haec sunt: tandem cum Hungarorum optimatibus placuisset, vt, qui titulo ducis tot praeesset populis, vteretur magis honorata appellatione, quarto demum anno post mortem patris sui Geysae, legatione pro corona instituta, **REGIA** auctus est dignitate. Plures adhuc laudare possem, qui eandem veritatem luculentis confirmarunt testimoniis. Ita enim Ritus g) loquitur: itaque Stephanus omnem, quae sub imperio erat Cupan, regionem redegit in potestatem, **REGIVM**que **NOMEN**, **VLTRO DEFERENTIBVS** * **SVIS**, **ACCEPIT**. Sed horum ego commentationes lubens praetermitto; plenissime persuasus, tam haec

e) Non ergo nos morabitur Casparus Ens, qui rerum Hungaricar. lib. 2. p. 98. fere in fine contrarium sentire videtur, quando de hoc duce ita loquitur: *Etsi vero nullis posterorum regum virtute & rerum gestarum magnitudine fuit inferior: vulgo tamen regibus non annumeratur. quoniam tamen optimo iure Hungarici regni conditorem appellare licet.* Distinguendum namque inter potestatem aut capacitatem regis, atque ipsam dignitatem regalem; illa quin habuerit Geysa, nemo dubitat, vti hanc eius demum filius Stephanus electionis iure est consequutus. Conferri post alios meretur Abraham Bakschay in *Chronolog. de Regib. Hungar.* p. m. 621. in fin. & p. 622. in principio, editionis Bonfinianae, quae anno 1600. Coloniae Agrippinae prodiiit. Add. Czuittinger. in *Specimine Hung. literatae* p. 20.

f) *De Monarchia & sacra Corona Regn. Hungar. Cent.* 1. p. 2. *vers. etsi autem intelligam &c.*

g) *De regibus Hungar. libro 2. p. 619. fere in fine dictae editionis Bonfinianae.*

haec esse manifesta, vt quem nostrates dignitati huic regali adscripserint fontem, haud difficulter animaduertere liceat. Legenda tamen etiam, quae dilucide exponit Berneggerus, in *Notitia Hungariae Parte I. S. 293. & seqq.* Nunc posteaquam paucis comprobatum dedi, adlegatos auctores in ea versari sententia, quod Stephanus regale nomen soli Hungarorum rei publicae acceptum ferre debuerit: vt, quae hifce ab imperii Romano-Germanici scriptoribus potissimum opponuntur argumenta, decenter enumerem, ratio instituti mei postulare videtur. Heic vero primo quasi intuitu statim se mihi offert, accuratissimus cetera rerum Boioaticarum scriptor, *Auentinus*, cuius locus oppido memorabilis omnibus iis ita sentiendi occasionem dedit, qui a praemissis Hungarorum monumentis diuortium facere non dubitarunt. Legitur ille in *Annalibus eius Boiicis, libro V.* ita se habet: * *Reктору eorum filio Geysonis, qui obierat anno Christi 996. Gisela soror Haimrici despondetur, hac lege, atque omine, Cordine legit Ludewigius) vt ille explosa falsorum deorum superstitione, Christi vnus & veri & summi Dei cultum, cum popularibus reciperet. Accepit conditionem princeps Vgrus: statimque aqua lustrica ringitur, Stephanus (addit. Dn. Ludewig id est, coronatus) appellatur, & A CAESARE REX NVNCVPATVR.* Qui hanc *Auentini* sententiam mutatis parumper vocibus, de *Finibus Imperii Rom. Germ. b)* * repetiit, *Conringius*, aperte quidem non disputauit, quod Stephanus dignitatem regalem ab Henrico secundo acceperit: in ea tamen ipsum quoque fuisse opinionem inter alia, vel exinde etiam quodammodo colligo, quod illa ipsa verba, quibus *Auentinus* Stephanum ab Henrico regem fuisse nuncupatum, prodidit, * *maiusculis litteris* exprimi curauerit. Perspicere ex modo dictis licet, quantis parasangis isti a prioribus discriminentur. Neque tamen, quod mei iam esset officii, adlegatum locum, qui totam fere hanc controuersiam absoluit, conuellere allaborabo; cum commodior inferius

b) Lib. I. cap. XVII. pag. mibi 214, 8.

rius id incumbendi porrigatur occasio, hi etiam viri non ex professo hanc rem evoluerint. Illud vero erit, in quo vel maxime omni animi contentione verfabor, ut illorum ante omnia adducam argumenta, qui notabilem isthanc quaestionem ex instituto sibi pertractandam sumserunt, quantumque ea euincant modesto examinae dispiciam. Prodeat igitur omnibus hisce iure quodam meritoque suo praefendus, paullo ante ex merito nobis laudatus *Ludewigius*, *i*) sublimis & vere pragmatici iudicii iurisconsultus, historiarum praeterea professor in alma Fridericiana longe celebratissimus; cuius *Traetatum de Auspicio Regum* aliquot abhinc annis in lucem publicam emissum, nemo non digno haecenus celebrauit encomio. Hic enim sicuti prolixum illorum regnorum catalogum edisseruit, quorum domini dignitatem suam maiestati imperatoriae debere intelligantur, ita, ut de sancto quoque Hungarorum Apostolo & primo rege Stephano euinceret, nec oleo, nec ulli pepercit operae. Praecipua fundamenta, quibus hoc incrustare annitur, in quantum ex isto libro mihi innotuerunt, huc fere collimant: 1) satis certum & clarum esse *Auentini* testimonium, quo, ut ex superioribus constat, Stephanum ope Henrici sacris Christi adiunctum tandemque ab eodem regem nuncupatum fuisse, disertis verbis perhibet; 2) quoniam regalis significatio Poloniae ab Ottone facta in gentium ac Imperatoris memoria fuerit; praetereaque 3) maxima Stephano regi cum Henrico imperatore amicitia ac familiaris consuetudo, *Ottoni Frisingensi* aliisque celebrata, intercesserit, non absurdum vero esse, Stephanum diploma regale

(b)

ab

- i) Meribitur veniam audacia, quam in impugnando magni nominis viri (quem vel ignotum demissa mente veneror) nobilissimo scripto fidenter admisi. Hocque ego tanto facilius ab omnibus bonis me impetraturum confido, quanto sincerius adfirmare possum, non fugillandi animo, aut altercandi lubidine inflato, hanc me adornasse lucubratiunculam; sed, ut rebus nostris quoque sua demum constaret veritas, a nemine alio, ut ab hoc viro, (quod pace eius dictum velim) tam constanter hinc inde debilitata,

ab Henrico accepisse. Cumque facile moneri potuisset, quare nulla vsquam huius diplomatis fiat mentio, ita statim se explicat, Stephanum Hungaris suis illud forte non ostendisse, ne scilicet libertati eorum quidquam putarent detractum, ideoque mirum amplius non esse, domesticos regni scriptores illud non prodidisse; 4) etiam *Berneggerum in Notitia Hungariae* ita sentire, eamque in rem locum *Philippi* retulisse; accedere tandem, 5) Imperatores Germanicos regiae significationis praerogatiam pluribus exemplis in Hungaria deinceps demonstrasse, qualismodi de *Petro & Salomone* regibus in ipsis Hungarorum libris legantur. Ita quidem ille. Verum enimvero splendida licet & speciosa cuilibet videantur haec argumenta, rem tamen ipsam, ut quidem debebant, nequiquam conficiunt. Quod namque ad primum attinet, mea ad illud responsio duabus absoluitur partibus. *Principio* enim tantum abesse dico, ut certum sit illius scriptoris Boiici assertum, ut dubium potius summaque obscuritate illud obuolutum esse haud temere asseruerim. Quis enim vel vilo solido fundamento refutare nostros, aut eludere sustinuit, conuersionem Stephani, legi ab Henrico praescriptae, aut Giselaevi ipsi nequaquam largientes? *k)* qui non vel patriae suae fauore ita loquutus fuisse praesumeretur, aut operam & oleum inaniter se consumsisse condoluerit. Cum ergo conuersionem Stephani, a Germanis praetensam, ut suspectam, & nullo idoneo

talo

*) Legiste haec iuuabit, quae *Berneggerus* de vero conuersionis actu, quem nostrates admittunt, per epitomen exhibuit *Parte prima d. Tr. §. 279. & seqq.* Ipsum autem quod attinet *Berneggerum*, de Germanicorum scriptorum placitis ita pronuntiat: *admirandum in Germanicis scriptoribus quomodo in conuersione S. Stephani affectui largiter indulgeant & scribant, cum Giselaevi ope & consilio suscepisse christianam religionem. Praeter Auenicorum & Philippum eodem affectu correpti sunt Sigebertus Gemblacensis & Lazius, reliqua. Add. quae deinceps subiicit. Confer. etiam Schurzseifschium in notis ad §. XI. dissertat. quam inscripsit Hungarica pag. 17. Haec omnia probe sunt obseruanda, quoniam in sequentibus ad ea prouocabimus.*

talo nixam, non admittamus, ecquis inuitis nobis imponet, vt Stephanum ab Henrico dignitatem suam eo tempore accepisse credamus? *Deinde*, licet hoc tantisper ponerem, quod Stephanus veritatem religionis christianae eo fere modo agnouerit, vti in historicis germanorum monumentis proditum est: nec sic tamen validum esset huius consecutionis filum. Quid enim tandem exceperis, si tuam hoc pacto explofero argumentationem: Stephanum iam antea a populo regia potestate & dignitate ornatum, (quod supra pluribus ostensum) accepta in vxorem Gisela ab Henrico pro tali duntaxat habitum & publice declaratum fuisse, non autem nouiter ad regale fastigium euectum; quorsum Auentinus respexerit. Neque vero est, quod heic a quopiam reponi velit, verbum *nuncupo* aliud plane designare, quam ego quidem illud interpretor. Num enim certo mihi persuadere audes, quod Auentinus, illud in specie ita acceperit, vti tu tibi imaginaris, & quod magis est, vtrum partibus Henrici fauens, gestas antea ab Hungaris res accurate contulerit? Neque vnus Commentatoris Boiici dictum tantum nobis videri debet, vt tot probatae indolis auctorum fidem praeponderet. Vt cetera minoris momenti argumenta nunc non attingam. Hoc proinde modo etiam *Auentino & Conringio* factum est satis. Quae prius excipiunt, *secundum & tertium* fundamenta, ita profecto mihi videntur esse comparata, vt hisce suppositis, tanquam coniecturae, vel me non monente, sua sponte concidant. Quomodo enim, quaeso, sequitur: regalis significatio Poloniae ab Ottone facta, in gentium ac imperatoris memoria retinetur, aut, huic imperatori cum illo rege familiaris intercedit consuetudo, ergo simile vero est: alterum regiam dignitatem ab imperatore accepisse, ergo regium diploma in illum contulit, aut conferre statim voluit. Superuacaneum praeterea censeo, vt, vbi manifestissima alicuius gentis testimonia, ipsi quodammodo rationi conuenientia, in promptu sunt, ad inanes coniecturas descendamus; quales ingeniosus quisque suo sibi

(b) 2

finge.

fingere posset arbitrio. Sed est hoc quibusdam scriptoribus familiare, vt, quae monumentorum fide prodita non sunt, ea coniecturis saepe licenter diuinent. Obtulerit vero Henricus Stephano diploma, regiae dignitatis collationem in se continens: quid obstitit, quo minus toti hoc populo ostenderet? Libertas certe Hungarorum non posuit obicem, utpote quae arctioribus tum circumscripta erat limitibus, ^{l)} quam vt per honorem ab imperiali splendore profectum, nulloque vt ipse scribit *Ludewigius*, cum onere coniunctum, vetustae illorum libertati aliquid putassent detractum. Et quanam subfuit causa, quod *Auentinus* hoc diploma non indicauerit, si domesticis Hungarorum scriptoribus hoc fuerit ignotum? Dubio procul, quod et magis credibile est, nec in rebus humanis vnquam extitit. Sed ad alia quoque partis aduersae momenta pergendum est. *Quintum* igitur argumentum sequentibus elidendum censeo. *Berneggero* eiusmodi adscribitur sententia, quae ipsi forte nec in mentem venerat. In declarando enim supremae in Hungaria dignitatis principio, multum eum ab *Auentino* dissentire, ex iis, quae *partis primae* §. 293. & * §. 294. & *seqq.* prolixè disputat, satis superque elucescit. Et qua ratione *Berneggerus* cum *Auentino* facere potuisset, cum historiam conuersionis regiae, prout a Germanis narratur, explodat, ipsumque *Auentinum* idcirco affectu correptum fuisse dicat? Tametsi autem, quod non inficior, loca *Philippi & Auentini m)* adposuerit, hoc tamen ea solum intentione factum est, vt monstraret, rem publicam Hungariae antea iam legitimum sibi

l) Lucem roburque his dabunt, quae ad 6. §. Cap. 2. *Dissertationis* Lochnerianae, haud ita pridem opera mea recusae, prolixius obseruaui, pag. 12. lit. k.

m) Notandum hoc contra accuratissimum alioquin *Ludewigium*, *Auentini laeum* *Berneggero* non innouisse, asserentem, pag. 73. d. Tr. in pr. Tametsi mirum videri possit, quo pacto hoc a viro tam praeclaro dici poterit, qui adnexam huic loco §. 369. pro *Berneggero* adlegauit.

sibi praefecisse regem, sed post ab Henrico confirmatum fuisse; id quod & verba Philippi, *eodem tempore Hungaria regni titulum usurpauit, quem post Ottonem, confirmauit Henricus sanctus*, haud obscure ostendunt. Neque tamen subscripserim *Berneggero*, vel solam confirmationem Henrico largienti; * quasi vero in electione Stephani regis quidquam desiderari potuerit, ab imperatore supplendum, tum etiam expeditum non sit, Stephanum etiam non accepta imperatoris confirmatione verum regem esse potuisse? Ad solam itaque * *agnitionem*, hoc est, quod Henricus Stephanum pro rege *agnouerit*, iuxta superius demonstrata, res omnis erit attemperanda. Quando denique & hoc adicere visum fuit, imperatoriam maiestatem regiae significationis praerogatiuam pluribus exemplis in Hungaria deinceps comprobasse, generatim ita respondeo: nobis hoc loco sermonem non esse de subsequenti Hungariae regum dignitate, sed de primo duntaxat Stephano, qui & sanctus Hungaris audit. Cum igitur Hungaria ad Petri vsque tempora & hunc sequentes reges nullum cum imperio habuerit nexum, quod non solum supra plene, vt puto, euictum, sed ipse quoque vltro fateatur *Conringius: n)* dici profecto non potest regiae significationis praerogatiuam, quae arctiorem quandam connexionem cum imperio subinferre mihi videtur, nec tamen aderat, posteriorum temporum lapsu exemplis fuisse comprobata. Nec iuuabit te obiecisse, quod cum *Conringius* adductum *Auentini* locum operi suo inferuerit, eundem hoc ipso etiam asserere voluisse, Stephanum iam tum Henrici *Vasallum* fuisse; quemadmodum de aliis regnis hoc eum pronuntiare more suo bene obseruauit *Ludewigius o)*. Quo enim animo

(b) 3

ita

*) *De Finibus Imp. German. Cap. XVII. p. m. 217.*

*) *De Auspicio Regum Cap. 2. § 6. verbis notatu dignissimis: Sane summus Vir Hermannus Conringius in aureo ceteroquin opere, ad fines Imperii Romani*

ita scribere potuisset: * *haecenus igitur* (scilicet vsque ad Henricum III.) *salua Hungariae libertas*, si Stephanus iam olim imperio fuisset clientelaris? Negato nimirum antecedente, negabitur & consequens. * Henricus II. regiam dignitatem Stephano non dedit: ergo nec eandem exemplis confirmare potuere ipsius successores. Et quid, si Henricum tertium nullam significationis regiae praerogatiuam ostendisse dixerim, sed * *soliis arbitri p*) gloriam retulisse obiecerim? Haec proinde exempla illi potius titulo fuissent reseruanda, vbi Germani de Hungaria in Prouinciam imperii, qua antiquas praetensiones adferenda gnauiter laborare solent: quamquam quae mea sit circa hanc rem sententia, ex iis, quae ad §. 1. *Capitis 2. Faciei iuris publici Hungariae*, obseruauit, haud dubie constet. Diiudicare hinc pronum est, quo iure Teutonnes, de coilata Stephano nostro dignitate sibi gratulari potuerint. Plura sane eaque luculentiora adducantur oportet argumenta, quibus hoc comprobent, vtque ego persuaderi mihi patiar, scriptores suos ab omni partium studio fuisse alienos. Quamquam igitur certa & planissima sint Hungarorum fundamenta, quibus originem dignitatis regiae sibi met ipsis attribuant, a me nunc proposita & pro ingenii modulo defensa: de illorum tamen robore tanto minus fuerit dubitandum, si adductis ipsorum pariter Germanorum testimoniis, corroborentur. In horum proinde numero illustrem cumprimis *Struuium*, Historiarum in hac Salana Professorem longe

mani proferendos huius argumenti consecutione perpetuo vitur: omnes imperii Vasallos habendos, qui regale Diadema (sive regiam dignitatem) ab imperatoribus acceperint.

p) Non iudicis, uti quidem existimat Dn. Ludwig in *German. Principe Lib. 1. cap. 2. pag. 203.* ibi: *Petrus Hungariae rex, ab aenulo Ottone regno expulsus, ad Henricum III. se contulit, litigiosae successoris * iudicem.* Et paullo post: *qui hunc secutus est in Hungariae regno, Salomo, in turbis intestinis Caesarem Henricum IV. * iudicem pariter implorauit, tulit pro eodem sententiam Caesar. Morem * iudici gesserunt ordines Hungariae.*

longe celeberrimum, Patronum & Praeceptorem meum debito obseruantiae cultu prosequendum, colloco; cuius erudita verba, ex *Syntagmate Iuris publici dissert. XI. §. 3.* de sumta, qui a me dicta mirifice confirmant, adicere placet: *de Hungariae*, inquit, *regibus, idem dicitur, scilicet, * quod dignitatem imperatoriae debeant maiestati, cum tamen prima eiusdem fundamenta * potius populi consensu Stephanus, primus rex iecisse videatur.* Lucem his quodammodo adferunt, quae vir illustris, in §. 1. dictae dissertationis praemisit. Cum enim commemorasset, auctoritatis pontificiae defensores, vt ius reges appellandi Papae adstruant: *Lusitaniae HVNGARIAE Aragoniae, Nauarrae, Bohemiae, Hiberniaeque* regna adducere, quae hanc dignitatem a sede papali adepta fuerint, cunctas eorum nenas, sequentibus respondet verbis: *exempla adlata de adprobatione potius papae testantur, quam declaratione, cum * singuli iam antea populi consensu dignitatem regiam obtinuerint.* Ad mentem quoque nostram proxime accedit Auctor non in eruditus libelli, cui titulum fecit: *Staat von Hungarn*, quando in vniuersum hac ratione disputat: *q) Folgen nun andere, die solche elevation und collation der kœniglichen Würde (de Stephano loquitur) dem Römisch - Teutschen Reich, als fontium omnium dignitatum beymessen, auch * verschiedene Kœnige anführen, die von denen Kaysern bestättiget, oder gar eingesetzt worden. Doch wollen hiemit die Hungarn * und andere, iedoch mit Vorbehalt der allerunterthœnigsten Veneration gegen die hœchste Würde der Christenheit nicht übereinstimmen, sondern glauben, * dass die Hunnen als ein damals freyes Volck, * so keinen Ober - Herrn, als GOtt und den Degen, über sich erkannt, Macht gehabt, * ihrem erwählten Ober - Haupte den hœchsten Character nach Belieben beyzulegen. Wie sie aber, (pergit laudatus Auctor,) durch ihren Schluss auswärtige Puissences nicht verbinden können, ihre Chefs*

q) Partis 2. Cap. 5. §. 1. pag. 178. prope finem.

Chefs davor zu agnosciren, so hatten sie * um Reglerung des Ceremoniels ihre Ambassaden ausgesandt, und zwar zu erst nach den Höfen, die der Christenheit hächst waren, und mit denen sie auch das meist zu demeliren hatten, als mit Rom wegen des neu angenommenen Christenthums, und mit dem Kayser wegen der Nachbarschafft. Non me poenitet, singula haec adnotasse, vt appareat, opinionem nostratium, & quam nostram fecimus, aliorum etiam luculento confirmari calculo. Ex quibus vero omnibus constat & efficitur id, quod in hac tractatione demonstrandum fuerat: nimirum, firmam & stabilem esse illorum sententiam, qui originem dignitatis regiae, in Stephano consideratam, * soli Hungarorum rei publicae adscribunt, illam e diuerso lubrico fundamento niti, quae maiestati imperiali eandem vindicat. Plura in praesenti non adiicio, neque mihi incumbere arbitror, vt iis quoque satisfaciam, qui hanc praerogatiuam * Romano Pontifici concedendam contendunt. Tam enim accurate, tantoque ingenii acumine horum ab aliis r) iam profligata sunt commenta,

r) Eminet hos inter Excellentissimus Ludewigus: quippe qui, meo quidem iudicio, omnium plenissime hac in re est versatus, neque solum capite quarto, dicti *Tractatus* ac imprimis in doctissimo suo libello, qui hunc praefert titulum: *Neniae pontificis de Iure reges appellandi*, generatim ostendit, potestatem reges adpellandi Pontifici perperam vindicari, sed & quod ipsam in specie Hungariam atinet, grauibus euicit argumentis, frustra sibi blandiri pontificios, quando * *aurum coronarium cum rege confundentes*, regalem Stephani primi dignitatem curiae Romanae acceptam referunt. Legisse forte poenitebit neminem, quae *capitis secundi §. 5. pag. 70.* consignauit: *non alii ergo, inquit, quam rei publicae Hungarorum regalem dignitatem Stephanum debuisse, clarum est.* (Vtinam & postea in hac perstitisset sententia, nec vnico Auentino contra tantos auctores nimiam dedisset auctoritatem! Quod enim postea eidem regi pontifex diadema miserit, id propterea factum constat: quoniam Poloniae rex, modo ab Ottone III. Imperatore coronatus, regium insigne a Pontifice accipere recusauerat. Nam papa, ne frustra fabricatus esse videretur, eandem Stephano nostro legitur obitu-

menta, vt quod reponere quadam veritatis specie possint, illis relictum, non esse existimem.

obtulisse. Atque adeo * intra auri celati pretium subicit omne, quod a Papa tum donatum est: * quod cum regali honore, quem Stephanus, ut domestici auctores tradunt, ab Hungariae ordinibus ante iam acceperat, ratione admodum peruersa a Scriptoribus confunditur. Toti tandem huic controuersiae ita imponit finem: atque adeo habuit Stephanus, quod tribus diuersis acceptum ferret. Rei publicae potestatem (adde & dignitatem) regalem: Romano imperatori regiam dignitatem: (vide tamen ea, quae supra fufius deducta) summo autem Pontifici Romano * aurei diadematis pretium mihi videtur debuiffe. Conferenda quoque sunt, quae Neniarrum Pontificalium Cap. 3. §. 8. pag. 101. & seq. disputauit, atque ita se habent: de Vngaris alias verbosiores sunt Pontificii scriptores, nec dubitant Seraphin. Freitas, Bozius, Steuchus, Marcellus, quin id regnum Pontifici dignitatem suam debeat. Vt Petrus Ranzanus & Ioann. de Thurocz, accuratissimi rerum Hungaricarum scriptores obseruant, quod ordines Hungarici Stephanum ante coronauerint, quam Astricus cum corona dedicata, atque a Pontifice regi donata accesserit. Vnde Pontifici * non aliud, praeterquam aurum coronarium, vt vocant Romani, acceptum referendum est: cuiusmodi * ab aliis quoque doni loco exhiberi poterat. Loca adlegati cuiusque auctoris in notis subinde adpositis indigitauit, ad quas lectorem remitto. Neque contemnenda fuerit doctissimi Gudii industria, quam in recensendis & discutiendis papatus Romani argumentis omni candore adhibuit. Non describemus sinceram licet nulloque partium studio irritam eius mentem: ne limites instituti in ipso migrare videamur limite. Ea tamen plenius cognoscere qui desiderat, memorati libelli germanici Part. 2. cap. 7. eiusque totam s. 1. euoluat, ac desiderio suo omni ex parte satisfactum esse videbit. Reliquos, vt minoris dignitatis & momenti, facile nunc mittimus.



(c)

SVPER.



SUPERPONDIVM
DE
FEVDIS HVNGARIAE.

Feuda Hungariae vetusta eiusdem fuerant indolis, quae ab optimis feudalis iuris interpretibus requiritur. Sed ita tamen successu temporum ea degenerarunt, vt hoc quidem tempore feudum in feudo vix liceat agnoscere. Interim & hoc apud omnes iurium nostrorum apprime peritos expeditum est, Hungariam in praesenti etiam maximam suam partem feudalem esse: quod omnes propemodum hujus regni tractus a ministris publicis aliisque magnatibus & nobilibus possideantur, ea quidem lege, vt, si quis eorum herede legitimo destituatur, ille super bonis suis possessionariis sine consensu regio nec quicquam disponere possit, aut, si quenquam eorum sine heredibus masculis decedere contigerit, rex ipse sacratissimus eorum omnium successor existat, & quae sunt reliqua. Conferatur *Verboetzius in opere Tripartito Iuris Hungar. Part. I. tit. X. & seqq.* & imprimis *toto tit. XIII. & seqq.* Quodsi vero pleniorremque feudorum Hungariae notitiam habere satagas, consule, quaeso, modo laudatum *Verboetzius*, consummatissimum iuris nostri consultum, cuius operis priores duae partes, quan-

quantae quantae sunt, feudalis iuris placitis fere repletæ sunt. Nec tamen *feudi* vocem, ad feuda Hungariae applicatam, in toto eius volumine quaesiveris. Huius enim loco, si de re in feudum data sermo sit, *bonorum possessoriorum*, si vero ipse contractus feudalis indigetetur, *donationis regiae* vocabula usurpare consuevit: stylo curiae Hungariae ita hoc ferente. Obseruauit hoc iam olim suoque calculo comprobauit *Daniel Klechius*, Hungarus, iuris quandam in hac Salana cultor diligentissimus; quippe qui in *Superpondio*, Dissertationi suae, *de Iure peregrinantium* sub praesidio Petri Mülleri habitæ, adnexo fere in fine hanc in rem ita scriptum reliquit: *Donationes quoque regales extraneis conferre prohibitaæ. Sunt autem donationes regiae iuris nostri vocabulo, * quæ LATIO FEVDA appellantur.* Atque hinc tandem ratio patet, quare Germanis aliisque populis feuda Hungariae hætenus penitus fuerint ignota: tametsi vix videatur opinabile, ex tot sedulis *Verboetzi* lectoribus hoc animaduertisse neminem. Sed de his alibi, vbi bono cum Deo *Institutiones Feudales, ex iure Hungarico depromtas*, conscribere visum fuerit, pluribus & ex instituto disputabimus.

SOLI DEO GLORIA.



IENAE
EX OFFICINA MARGGRAFIANA.
M D CC LVI.



Nr 1676

ULB Halle
006 832 474

3




v. 18



Blank paper label on the spine of the book.





IOANNIS IONY
IGLOV. HVNG.
DE
AVSPICIO REGIO
STEPHANI PRIMI
HVNGARORVM APOSTOLI
SCHEDIASMA
HISTORICO - IVRIDICVM.



1893/4 1086



RECUSA IENAE,
LITTERIS MARGGRAFIANIS,
M D CC LVI.

